



Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

I. Dies Decemb. Omnes nobis causamur deesse Gratiam: sed justius
forsan ipsa sibi queratur Gratiæ deesse nonnullos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

Novemb.

Tessera.

959

oppignoratum tibi cœlesti promisso annum centesimum, sed hac lege, ut in ejus ævi sustentationem, nihil sis habiturus, nisi quod horæ unius spatio ex aperi-
tis potentissimi Principis expromptum thesauris, re-
politus sis. Fingamus si mavis, unam divinitus tibi
horam concedi, postquam, item divinitus noveris,
mundum, & te cum illo peritum: horam illam te
quæso quām avarè, ardenter, quā rapiditate insum-
pseris: & torpemus cæci, & inertes, in nostra meliori
causa, nihil in tota messum æternitate, nisi cujus brevi
nunc vitæ hora fementem fecerimus. Evigilemus
tandem, & aliquid sobrii consilii ineamus? seriùs,
oculis, ubi præcessit culpa, sequetur Pœna.

I. DIES DECEMB.

Omnis nobis causamur deesse Gratiam: sed ju-
stus forsan ipsa sibi queratur Gratia deesse
nonnullos. *S. Bernard. serm. de trip. custod.*

Libertas I. **T**Acitis paulatim mensibus, annus
hominis, præcipitat ad oculum; & vita no-
stra cum illis ad sepulchrum. Tem-
pus adhuc nobis est acceptabile; quia possunt ope-
ra nostra esse Deo accepta. Non erunt porro ac-
cepta, nisi fuerint cum Gratia ejus incepta, & cum
eadem obsoluta. Ut sint talia, non nobis deest Gra-
tia; laborandum nobis est, ne nos desimus Gratia.
Ne illi nos desimus, in nostrâ est potestate, quia
fruimur arbitrii nostri plenâ libertate. Itaque
liberi

liberi arbitrii, & voluntatis tuæ Dominus es, etiam ad malum Animæ; non eo fine ut malum sequaris, sed eo potius, ut malum fugias. Voluit Deus, te peccare posse; ut tibi meritum sit, non peccasse. Non culpaberis, quia potes: coronaberis, quia potuisti, & nou es transgressus. Velles fortasse naturā impeccabilis esse? velles igitur Deus esse, vel nullum esse, posse peccatum? si nulla posset esse miseria; nec Deus cui proprium est misereri, posset esse misericors. Displicet tibi, quod Deus gratiam præstare valeat, & velit? si gratiam malles esse debitum, ingratus es, gratiam non agnoscis. At nequeunt peccare bruta; scio: sed nec honestè agerè; ideo bruta sunt. An male te habet, quod possis malum à bono discernere? Hoc Deus potest, quid inde mali?

II. Quod ad malum te sentis pronum, poena peccati est: habes gratiam, quâ pronitati resistas. Si necessitate ad malum rapereris, esset vel querelæ, vel excusationi locus. Nunc per gratiam in potestate tua est, malum fugere; quid quereris? Malles imponi tibi à Deo non peccandi necessitatem? Intelligo; putas Deum aut sapientem non fuisse, aut aliter sapere debuisse. Sapientia Dei hoc statuit. Sed nisi recte utaris libertate, jam gravissimæ subjectus es servituti. Sic libertas libertate perit. Est hæc mens Publpii: *Beneficium accipere, est libertatem vendere.* Inter homines, id est solenne. Contrà: à Deo beneficium accipere, est libertatem emere. Tollitur hæc libertas abusu arbitrii liberi. Est adagium: *Pugnantibus molitoribus vœ farinæ.* Vœ navi, in quâ naufragæ, vectoresque rixantur, aut quæ in partes, ac tabulas dissolvitur. Vœ currui, cujus aurigam equi non ferunt;

fuerunt ! Væ corpori, in quo morbi, in quo quatuor qualitatum discordia, in quo membra in ventrem, velut pigrum, & voracem insurgunt ! Ita vae Gratia, & libertati, ubi homo superior, & inferior digladiantur, & affectus inter se divisi altercantur ; vel tolletur, vel minuetur : sed illius jactura tam pensi habetur, ut parum curent passim homines, si Animus fordeat, modo corpus fulgeat. Deplorabat olim D. Bernardus, suæ ætatis corruptelam ; ac præfertim res sacras, profanis probrosissimè postponi ; & tandem addit : Plus calcaria, quam Altaria fulgent. Nonne ad illius diæ similitudinem quis verè asserat ; Plus cænum, quam cælum ; plus haræ, quam Aræ ; plus vitiorum propudia, quam virtutum decora æstimantur ?

III. Est juris Pontificii effatum : (a) *Hoc capit fissum* ; *quod non capit Christus*. Sic peribis ; nisi dederis Christo, quod debetur Christo : quia hoc capit Averinus, quod non capit Olympus. Necesse est, pereas nisi Deo pareas. Constatit tibi nimis caro, si nimis tibi chara sit caro. Mater, quæ nimis est benigna, est noverca. Sic nimia in carnem indulgentia, non est amor matris, sed odium novercæ. Ut porrò Anima & novercæ, & matris exerceat munus, egregie explicat S. Zeno serm. 4. ad Neophytorum : (a) O bina matris charitas diversos genere, aetate, conditione, suscipiens ! necat odio criminum, ut noverca ; pia servat, ut mater ; necatosque non antea vivificat, quam omne virus vetustatis extinguat. Hic prius doleas, ut postea gaudeas ; in terris spinæ, in cœlis rosæ : adhuc es in area ; oportet ergo flendo mittere semina, ut pos-

Pars III.

Ppp

stea

(a) C. Majores 16. quæst. 7. (b) Serm. 4.

steā cum exultatione portes manipulos : esto solici-
tus , & tristis , dum venerit tempus messis . Suader
hoc ipsum paucis D. Augustinus : (a) *Geme in aea,*
ut gaudeas in horreo. Talia sequentur in cælis præmia,
qualia præcesserunt in terris opera . Quilibet suorum
operum est filius ; quia, nimirum illorum hæres est
legitimus . Si sis ambitiosus honoris, eris in honore;
quia opera , quibus aspiras ad honorem , sunt sine
honore. Ideo honore non est dignus , qui honorem
quærit , sed quem honor quærit . Verissimè igitur
Augustinus : (b) *Honor te querere debet, non ipsum tu.*
Manes temper homo, hoc est, æquè vilis , etiam ho-
nore excelsior aliis hominibus : *Simia collo aurum ge-*
stans adhuc est simia; & *asinus talenta gestans, adhuc more*
suo rudit; ut Gregorius Nazianzenus in carmine ad
Nicobulum :

Aurum asinus gestans, plus non est corpore praestans.

2. DIES DECEMB.

Satis est Domine, satis est. Xaverius.

S. Xaverii

I. Atis est, vox est non advenit in
laus.

Satis est, vox est non advenit in
terris, sed in colæ in cœlis. A
quo unquam Monarchâ , au-
dita est hæc vox Xaverianâ ? Quis unquam par Cræ-
so, inter divitias ; Alexandro, inter victorias ; Au-
gusto, inter honores ; Pompeio, inter triumphos ;
Cæsari, inter dignitates ; Hannibali, inter trophyæ ?
quis denique fuit tam fortunatus pullus fortunæ, ut
pronuntiaverit illas binas voculas, Satis est ? Sed li-
cer Xaverio satis fuerit gaudiorum ; nunquam ta-
men satis laborum. Quis unquam aut obeundi ne-

gotii,

(a) *Serm. 254. de temp.* (b) *Hom. 13. & 5.*